



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 3. Decreta ejusdem Synodi de Jurisdictione, & Clericorum exemptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

teat ad eas sæcularibus. Et per omnia ob- Sæcul. XVI.
serventur, & executioni mandentur con- A.C. 1528.
tenta in capitulo Periculoso, de statu regu-
larium, in sexto.

XXIII. Denique statuit, quod Religio-
si extra claustra sua vagantes ab Ordinariis
cogantur ad rectam redire semitam, & ad suo-
rum institutorum observantiam.

Hæc decreta in ultima Sessione
fuere prælecta, ac Patrum consensu ap-
probata.

§. III.

*Decreta Eiusdem Synodi de jurisdic-
tione, & Clericorum ex-
emptione.*

Cum Judices profani Jurisdictionem *Labbe l. cit.*
Ecclesiasticam, & Clericorum liber- p. 429.
tatem graviter læderent, hujus Synodi
Patribus haud abs re fore visum est, si
sequens decretum conderetur his verbis
conceptum:

*Decernit, & ordinat eadem Synodus,
ut super turbatione, quam jurisdic-
tio ecclesia-
stica a sæcularibus judicibus patitur circa
obligationes juramento firmatas cum submis-
sione coërcitionis ecclesiasticæ circa persona-
lium actionum cognitionem inter laicos: cir-
ca etiam testamentorum quoad pias causas
exhibitionem & executionem: circa in-
venta-*

Sæcul. XVI
A.C. 1528. *ventariorum de bonis mobilibus clericorum per notarios officialium confessionem & litterarum tacitis nominibus monitoriarum publicationem: item circa remissiones, quæ a laicis iudicibus sunt cum onere casus privilegiati: ad hæc circa prohibitiones generales necnon & particulares, quæ tam contra arresta, quam contra ordinationes regias passim sunt: porrigatur supplicatio domino nostro regi, quatenus super his procedere dignetur, ut libertati ecclesiasticæ & subditorum suorum etiam laicorum commoditati consulatur.*

His ita statutis Synodus communi suffragio statuit, ut Francisco Galliarum Regi demississime exponatur, quatenus ipsemet præfatis corruptelis remedium opponere, ac Ecclesiasticam libertatem tueri vellet; eoquod exinde in proprios ejusdem subditos præcipue Laicos maximum emolumentum redundaret. Hanc in rem Synodus quinque decreta edidit hujus tenoris:

I. *Inhibet hæc Provincialis Synodus monitoria generalia, seu tacitis nominibus ab ecclesiasticis iudicibus decerni, nisi damnum ratione cujus impetratur, sit æstimationis trium solidorum: nec moniti culpabiles pro minori damno excommunicationis sententia innodentur, atque id in monitoriis literis exprimat.*

II. *Sta-*

II. Statuit etiam, ut in literis contra ^{Sæcul. XVI.} A.C. 1528. participantes excommunicatoriis & agra- vatoriis concedendis, excimantur uxor & liberi, neq non seruitores & ancillæ, quæ ante dictarum literarum impetrationem ope- ras suas locaverint.

III. Prohibet insuper notariis, scribis, procuratoribus & aliis in ecclesiasticis curiis practicantibus, pro salariis, vacationibus, expeditionibus & actis judicialibus contra partes seu clientulos suos per viam excommunicationis procedere: sed tantum per viam interdicti ab ingressu ecclesiæ eisdem liceat procedere: donec crescente contumacia causa cognita per iudices aliter existerit ordinatum.

IV. Item, ut animarum saluti consulatur, decernit pro prima contumacia literas excommunicatorias non esse concedendas, sed tantum interdictum ab ingressu ecclesiæ: nisi pro diversitate locorum morumque, Ordinariis aliter observandum videbitur.

V. Item ut facilius & rectius Metropolitanis iudices iustitiam ministrare valeant, statuit informationes & inquestas a suffraganeis seu eorum officialibus in lingua latina aut Gallica esse faciendas, aut saltem tali idiomate, ut absque interprete facile possint in Bituricensi sede intelligi.

§. IV.